



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate ||
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In
Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1625

Cap. I. Excellentiaë & vtilitates S. Sacramenti Poenitentiaë.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39652

TRACTATUS TERTIVS,
DE SACRAMEN-
TO POENITENTIAE,
EIVSQVE PARTIBVS: AC DE
PERFECTA VITAE REFORMA-
tione, ad quam illud dirigitur.

CAPVT I.

EXCELLENTIAE ET UTILITATES S. SACRA-
menti POENITENTIAE.

I Sancta Baptismi & Confirmationis Sacramenta ita nos in DEI gratia confirmarent, vt ab ea excidere non possemus, non fuisset (vt ait S. Concilium Tridentinum) opus alio Sacramento ad eam reparandam: Sed experientia ipsa docet, raros esse a *Iustis*, qui in accepta Sanctitate tanquam *Sol* immutabiles permaneant: plurimos verò tanquam *Luna mutabiles*, amittentes pulchritudinem & splendorē gratiae, quā *Sol Iustitiae* illis communicat. Quem admodum enim corpus mille morbis est obnoxium, & aliquibus quidē ita lethali-
bus, vt reuera priuetur vita: Ita anima est vitij & passionibus obnoxia: & incidens in lethale aliquod peccatum, amittit vitā gratiae, cuius peccati ad-
ded est horrēda & infernalis furia, vt b *impetu vno octingentos interficiat*: Cha-
ritatē scilicet, exercitumque virtutū Moralium, & Infusarum, & septē Spiritus S. dona destruens: imò & ipsum Spiritum S. ex anima, in quamanebat, expellat: in cuius locum succedit Sathanas, vt antiquam suam habitatio-
nem possideat. & quòd in posterum securior in ea permaneat, solet c *secum adducere septem alios spiritus nequiores se*, qui suis tentationibus miseram ani-
mam in alia plurima peccata lethalia praecipitant: nec solum infelicem il-
lam gratiae vita spoliant, sed defaudent, ac d *super carbones denigrant*, quem admodum lamentatur Ieremias de Nazareis loquens, qui Iustos significa-
bant, Deo per Baptismum consecratos: ex quo *candidiores nuae, nitidiores la-
cte, rubicundiores ebore antiquo, & Saphyro pulchriores prodeunt*. quorum postea
facies per peccata turpiores apparuerunt, & carbonibus nigriores, peccata
enim

Sess 14. c. 1.

a Eccl. 27. 12

Peccati da-

na.

b 2. Re. 21. 8.

c Mat. 12. 45

d Thre. 4. 7.

Peccatores
carbonibus
similes.

c Apoc. 21.
27.

flere. 2. 22.

I.
g Heb. 16. 4.
Pœnitentia
reparatur
vita gratia.
h Ioa. 20. 23.
i Mat. 18 18

Peccata re-
missa nun-
quam re-
deunt.

k Rō. 11. 29.

Mich. 7. 19.

enim destruunt *nivis* candorem, animæ scilicet sanctitatem; *lactis* dulcedinem, quæ suavitas & iucunditas est bonæ conscientiæ, *eboris* splendorem, hoc est feruorem charitatis; & *Saphyri* pulchritudinem, quæ est vita cælestis cum ornamentis virtutum. Apte verò eos comparat carbonibus, qui prius ignis prunæ valde splendentes fuerunt: quæ tamen aqua, tetraveextincta, facta sunt carbones nigri: peccatum enim ignem amoris Dei suffocat; eosq; qui tanquã prunæ ardentes erant, ita frigidus reddit, turpes, ac titionum instar nigros: vt nulli alteri vsui esse possint, nisi vt æternorũ igniũ fomentum sint & alimentum. ac proinde cœli ianuas ocludit, quæ fuerant per Baptismum reſerata, e in eam enim ciuitatem (vt S. Ioannes ait) non intrabit aliquod coinquinatũ, aut abominationẽ faciens & mendaciũ: sed quotquot eò peruenient, necesse est, esse instar *nivis* candidos; sicut *lac* nitidos, vt *ebur* rubicundos, & pulchros vt *Saphyrus*. Quis verò tot malis remedium afferre potest: quis hos mortuos suscitare: quis candorem illum, nitorem, splendorem, & pulchritudinẽ reparare: num tantæ vires esse in terra possunt, vt id præstent: *si laueris te nitro* (ait Dominus) & multiplicaueris tibi herbã *borith*: maculata es iniquitate tua coram Deo, nisi de aliquo balneo siue lavacro Deus ipse tibi prospiciat, quod te lauandi virtutem habeat. At quoniã Baptismus iterari nõ potest: Nam (vt Apostolis ait) *impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, & prolapsi sunt, rursus eadẽ via reuocari* statuit Christus D. N. PœNITENTIAE Sacramentũ in forma Iudicij in quo peccator ipse comparet, suãq; contritione & Confessione ad peccatum suum delendum cum Iudice ipso, qui Sacerdos est, concurrat: Sacerdos verò sententia lata, eum absoluit: quam Deus ipse in cælo ratam habet, iuxta ipsius Christi verba: *h quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & illa: i quacunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Quæ sacerdotis sententia ad eò firma est, & irreuocabilis: vt nunquam Deus æterna pœna in altera vita puniat peccata, quæ semel fuerunt in hac vita dimissa. Estque tantæ efficacitatis hoc Sacramentum, vt (teste. S. Gelasio Papa) numquam amplius peccatum aliquod viuat, quod fuerit semel dimissum. Quamuis enim ingratus valde ac infidelis sit is, qui, postquam Deus illi peccata dimisit, audet eundem iterũ offendere, ac propterea maiori sit pœna dignus, eò quòd peccatum ipsum sit maius: at hoc ipsum non efficit, vt præterita reuiuiscant: sed æternũ illa extincta manent. *k Dona enim Dei* (vt ait Apost. *sine pœnitentia sunt*: ideoq; nunquam reuocat, quam semel concessit remissionem. ac propterea ait Propheta, quòd *l proiciet in profundum maris omnia peccata nostra*. Quemadmodum enim lapis decidens in profundum maris non amplius exit, nec comparet: ita peccata, quæ Deus proijcit in mare pœnitentiæ, æternũ manent submersa, & obliuioni tradita. Et quemadmodum Moyses po-

pulo

pulo Israel dixit: *m Aegyptios, quos nunc videtis, nunquam ultra videbitis* VSQVE
IN SEMPERNVM: quia omnes submergentur in mari rubro, vt nunquam
eos amplius viuētes videatis: Ita etiam peccata, quæ huius Sancti Sacramēti
mare rubrum ingrediuntur, ita virtute sanguinis Iesu Christi submergun-
tur, & sepeliuntur, vt nunquam possint eadem redire.

SED NON min⁹ eminet misericordia diuina, cū dicitur: *n si impius egerit
pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*: etiam si illa sint
innumera: quia omnes simul in profundum maris proijciam, nulla earum
lethali in anima relicta; quia nunquam DEVS remittit vnā talem sine altera.
Et quemadmodum omnes Aegyptij submersi fuerunt, & perierunt, ita
vt *o nec vnus quidem superfuerit ex eis*: ita omnia peccata mortalia submergū-
tur in hoc pœnitentiæ Sacramento, vt nec vnicum superfit: Nam gratia di-
uina, quæ animam per pœnitentiam ingreditur, omnem culpā ab ea expellit
quæ DEO inimicam reddere possit. Et quælibet contritio quantumuis par-
ua, modò ex amore oriatur, omnia peccata delet: quia omnia detestatur, eti-
amsi eorum non recordetur. Et in ipsa Confessione non solum ea remittun-
tur, quæ pœnitens confitetur; sed omnia etiam, quæ vel ex ignorantia, vel ex
obliuione, vel ex aliqua causa non culpabili omittuntur. Nam Deus, est Iu-
dex iustus, eiusque iudicium est plenū. Esset verò (ait S. Augustinus) quod-
dam genus infidelitatis, expectare ab eo iudicium aliquod aut remissionem
dimidiatam. Quare simul totum remittit, quo peccator reddebatur iniu-
iustus, vt eius amicus esse possit.

§. 2. *Alia eiusdem Sacramenti excellentia.*

EX dictis licet alias etiam huius Sacramenti excellentias cognoscere: in
quo si peccata extinguuntur, id fit, vt vita detur peccatoribus. Nam
quemadmodum in mari rubro Aegyptij submersi remanserunt, Hebræi
verò viui & sani inde exiuerunt: Ita in hoc pœnitentiæ mari peccata sub-
merguntur: sed viui remanent peccatores. quia Dominus noster reddit illis
supernaturalem gratiæ vitam, Charitatemque, dona ac virtutes, quas in Ba-
ptismo receperunt. Quemadmodum apparet in conuersione filij prodigi,
quem Pater iussit *a stola prima indui, daviq; anulum in manū eius, & calcamen-
ta in pedes eius*, quibus ornari consueuerat, antequā ex paterna domo disce-
deret. quo ornatu (vt supra est dictum) dona significantur Iustificationis,
per quam, *qui mortuus erat, renixit*. Quemadmodum etiā Christus D. suscita-
uit filiam Iairi Principis Synagoga *b non permittens intrare secum quemquam,
nisi Petrum, & Iacobū, & Ioannem, & Patrem, & Matrem puella*, significans
hoc facto animæ, quæ culpa mortua fuerat, resurrectionem: ad quam con-
currunt tres illi actus *Contritionis, confessionis, & satisfactionis*, qui signi-
ficantur per tres Apostolos; & actus duarum virtutum Theologicarum Fi-

m Exod. 14.
13.

2.
n Exe. 18. 21.

o Exod. 14.
28.

Lib. de vera
& falsa pœ-
nitent. c. 6.
in som. 4.

3.

a Luc. 15. 22.
23.

Tract. 1 c. 10

b Luc. 8. 51.
Marc. 5. 37.
40.

Tract. 1. c. 11.

dei & Spei, quæ sunt tanquam Pater & Mater demortuæ: & impetrant resurrectionem, quemadmodum suo loco diximus. Coram hisce quinque testibus, in tribunali hoc pœnitentiæ secretissimo, resuscitat Christus D. N. peccatores per Sacerdotem, qui illos à peccatis absoluit; restituitque vitam gratiæ, & ius ad æternam vitam: Clauibus, quas Christus illi dedit, occludens portas inferni, quas illi suis peccatis aperuerant; referans verò cœli, quas illi sibi clauferant: quæ semper illis apertæ manebunt, nisi recentibus culpis easdem iterum occludant.

4.

c Zach. 13. 1.
Pœnitentia
restituit de-
corem.

d Isai. 1. 18.

HINC transire licet ad aliam pœnitentiæ excellentiam, quod illa fit aded potens, vt non macrum, maculatum, aut deformem resuscitet peccatorem: sed cum pristino candore & pulchritudine. Illa enim est c fons ille patens, quem per Zachariam Prophetam DEVS promisit *habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatae*: ita vt nulla in eis macula remaneat.

Nã d si fuerint (inquit Isaias) *peccata vestra sicut coccynum, quasi nix dealbabitur*. non quod ipsa peccata dealbentur, sed peccatores ipsi. dicit verò, ipsa peccata dealbanda, vt significet: nec vestigium aut maculam vllam eorum remansuram. Apta verò est comparatio huius candoris cum *niue*, quæ descendit de cœlo: hic enim candor pœnitentiæ totus est *cœlestis*; & quide m e

e Ps. 50. 9.

supra ipsam *niuem*, vt dixit Dauid. Licet faciem habeas carbone nigriorem: si tamen viua aqua gratiæ in hoc fonte ablueris, restitueris in statum Nazareorum, faciesque tuæ conscientiæ super niuem dealbabitur: eritque nitidior lacte; ebore rubicundior; & pulchrior Saphyro. Et si magis eris leprosus & maculatus, quàm fuerit f *Naaman* ille: si tamen in *Iordane* pœnitentiæ

f 4. Re. 5. 14.

laueris, *restituatur* anima tua, sicut anima *pueri parvuli*: tanta suscepta puritate, vt valdè similis sit puritati innocentia; & pulchritudini, quæ semper est illi coniuncta. Scriptum est enim: *g confessio & pulchritudo in conspectu Domini*. Si pulcher esse vis: (ait S. Augustinus) confitere. Confessio enim est ipsa

h Psal. 95. 6

met pulchritudo. eras deformis (confitere, & pulcher euades. O quàm amabilem DEVM habemus, qui dilexit deformes, vt formosos redderet! quomodo autem illos dilexit? nonne ad pœnitentiam eos vocando, & exhortando ad confessionem? Quamobrem si amissam pulchritudinem diligis, Confessionem dilige & Pœnitentiam: sic enim eam recuperabis.

Confessio
pulchrum
facit.

5.

h Luc. 11. 22.

Christus pœ-
nitentia
vincit.

i Luc. 15. 7.

HVC pulchritudini renouatio coniungitur, & ornatus templi, domusque illius, in qua Spiritus S. habitare consuevit. Qui libenter ad eam inhabitandam reuertitur, ad cuius aduentum fugit Sathanas, & h *fortis armatus vincitur*, qui eam possidebat: quia *vniversa eius arma*, tentationes scilicet, in quibus *considebat*, ei auferuntur, & peccatorum *spolia distribuuntur*, cum magna Angelorum lætitia: qui hanc victoriam solenniter celebrant. Nam, vt ipse Saluator noster dixit: *i gaudium est in cælo super vno peccatore veram pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta nouem Iustis, qui ea non indigent*: idque ob

gloriam, quæ Deo attribuitur: eò quòd hostem adeò fortè vicerit; & ut filium, qui mortuus fuerat, reuiuisceret, effecerit; ipsumq; peccatorè à periculo, in quo versabatur descendendi ad infernum, eripuit. O pœnitentiam salutarem! ò confessionem gloriosam & admirandam! quibus encomijs laudes tuas potero celebrare? omnes enim, quas in medium produxero exiles erunt valdè. quas enim culpas non remittis? quas pœnas æternas non commutas? quas temporales non exoluis? quas passiones non domas? quos prauos mores non permutas? quos non resuscitas mortuos? quos Dæmones ex suis habitationibus non expellis? Tu clavis es, qua fores inferni occluduntur, cœli verò panduntur; per te, qui fuerant latrones, in paradysum admittuntur; & qui publicani, in æternum regnum: Tu Aethiopum pellem commutas. Tygridum maculas lauas; Nazareis restituis pulchritudinem, & purificas templum, in quod Spiritus S. cum donis suis ingreditur. Nam diuinus hic spiritus nunquam vacuus accedit ad domum, in qua hospitio excipitur: sed præclarissimis donis eam beat, ac fœlicitat. Pœnitentia (inquit S. Augustinus) morbos curat, leprosos sanat, mortuos resuscitat, vitia destruit, virtutes acquirit, spiritum corroborat, & sanitatem auget, quam conseruat. Claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum. Temperat successus, constringit impetus, moderatur excessus. Ignorans se, per hanc se recognoscit; quærens se, per hanc se inuenit. Hæc est quæ homines ad Angelos ducit, & creaturam reddit Creatori: ista ouè perditam monstrauit querenti; & decimã drachmã obtulit anxianti. Hæc dissipatorè filiũ ad patrè reduxit. & vulneratũ à latronibus, custodi curandum reseruauit. In hanc omne bonũ innititur, per hæc omne bonũ cõseruatur: fugat tenebras, inducit lucem, excoquit omnia, ipsa ignis consumens. O pœnitentia (ait S. Chrysost.) quæ peccatũ, miserante Deo, remittis, & paradysum referas: quæ contritũ sanas hominẽ, & tristẽ exhilaras: vitã de interitu reuocas, statum restauras: honorẽ renquas, fiduciã das: & reformas vires; gratiãq; abundantiorẽ refundis. O pœnitentia, quid de te notũ referã? omnia ligata tu soluis, omnia soluta referas; omnia aduersa tu mitigas; omnia contrita tu sanas; omnia confusa tu lucidas; omnia desperata tu animas! O pœnitentia rutilantior auro, splendidior Sole, quam nõ vincit peccatum, nec defectio superat, ne desperatio delect. Pœnitentia respuit auaritiã, horret luxuriam, fugit furorem, firmit amorem, calcit superbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit inuidiam. Perfecta pœnitentia cogit peccatorẽ, omnia libenter sufferre, si violentus quærat, quæ habet, non vetat; si vestem dirimat, non refragatur; percutienti maxillam præbet alteram; iam angariatus, vtrò adijcit: castigatus, gratias agit; prouocatus, tacet; exasperatus, blãditur; superiori supplex est, inferiori subiacet; in corde eius cõtritio est,

M m 2

in ore

*Pœnitentia
encomia.**Lib. de vera
Pœnit. c. 1.*

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

» in ore eius confessio, in opere tota humilitas. Hæc est perfecta & fructifera
 » pœnitudo. Sic pœnitenti præsto est Deus, esurienti nutritor, sitienti pota-
 » tor. Sapienti, quod stultum putatur, sapit, quod triste est, placet; quod mol-
 » le est, displicet; quod fluxum est, horret. O pœnitentia, misericordiæ mater,
 » & magistra virtutum! magna opera tua, quibus reos resoluisti, ac reficisti de-
 » linquentes; lapsos releuasti, recreasti desperatos. Per te nobis Christus regnū
 » cœlorum appropriatum designat, dicens: Pœnitentiam agite, appropinqua-
 » bit enim regnum cœlorum: ita & Baptista clamat: facite fructus dignos pœ-
 » nitentiæ: quoniam ecce adest regnum Dei. Per te subito rapuit latronem
 » Christus ad regnum; per te Dauid, post flagitiū felix iterū recepit Spiritus S.
 » per te Manasses, post cruenta facinora, ecce, meruit fieri acceptabilis; per te
 » Petro Apostolo; postquam ter negauit, data est indulgentiæ dextera; per te
 » filius prodig^o regressus ad patrē, nō solū amplexū osculūq; paternū, sed etiā
 » epulū vituli saginati, vestiq; insignē promeruit adipisci; per te mulier for-
 » nicaria vberes stillauit lacrymas, fonteq; sui Baptismi protinus lauit pedes
 » Christi, crineq; deterfit: per te Niniue ciuitas magna, populusq; integer
 » Barbarorū subito Deū sapuit; virtutē tuā sensit; odorē tuū accepit; saporem
 » tuū trinxit; dulcedinē tuā gustauit ciliciū contraxit, lacrymas tuas profudit,
 » gemitū tuū, suspiriūq; perlescit; fructusq; vbertatis tuæ abundanter exhibuit:
 » & sic per opera tua non solū decreta mortis discrimen euasit, sed etiam
 » vitam incognitā coronam accepit. Cuius similitudini pœnitentiam cō-
 » paremus? Sic est, quomodo ager fructifer, aut vinea sæcunda, aut etiam ar-
 » bor fructifera: fructus eius edit peccator famelicus, proficit in fiducia Dei,
 » acceptaque remissione pinguescit in vita. Hæc S. Chrysostomus.

6.

His addo: ad eodē feruentem esse posse peccatoris contritionem ac dispo-
 sitionem: vt non solū gratiæ dona virtutesq; huius Sacramenti propriæ
 ei concedantur: sed omnes etiam illæ, quæ peccatum præcesserunt, resti-
 tuantur. Nam pœnitentia (vt S. Augustinus ait) excellens ad eodē est & efficax,
 vt omnes defectus reuocet ad perfectum; possitq; sanitatem in ea excel-
 lentia reparare, quæ ante fuerat, atque si nulla culpa præcessisset. Propterea
 enim dixit Deus: *impietas impii nō nocebit ei, in quacūq; die cōuersus fuerit ab
 impietate sua.* nam feruens eius pœnitentia, amissa omnia bona recupera-
 bit; integrumq; ius reparabit, quod ad gloriæ coronas, quas bonis
 suis operibus prius erat promeritus, habebat. Quæ bona opera, mor-
 tali admissa culpa, fuerant mortificata: quo tamen impedimento sub-
 lato in pristinum suum valorem viuificata restituntur. *Non enim* (ait
 Apostolus) *iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri ac dilectionis.* nec
 prætermittet mercedem reddere, quam vestris obsequijs fueratis prome-
 riti: modò peccati obicem remoueat. Cū itaque pœnitentia tantum
 possit, vt spirituale coniugium Spiritus Sancti cum anima renouet,

3. Hypogno.
E. 9. tom 7.

k Eze. 33. 12

Heb. 6. 10.

cur non sufficiet restituere sponsæ suæ monilia, quæ prius ei donauerat: si ingenuè ac generosè ipsa ad sponsi sui amorem, & obsequium reuertatur? Ipse ex infinita sua charitate Sponsam, in qua fornicata est cum amatoribus multis inuitat, vt ad se reuertatur: & promittit, se eam suscepturum. Si igitur illa, erubescens & compuncta reuertatur: facile credendum est, ipsum admissurum eam ad pristinam amicitiam: qui enim spontè offert reuertenti veniã ac dona: non erit parcus in reddendo; si illa, ad ea recipienda, sese disponat. Nouerat benè Pater noster celestis, se disponere gratiæ suæ in thesauros in vasis fictilibus, quæ facillimè confringuntur: fuisseque, iustis ingens afflictio ac desolatio, si quos thesauros magno suo labore ac diuturniore tempore sibi comparassent, omnes illos amitterent ob aliquod mortale peccatum, ex hac sua fragilitate admissum: ita vt æquè illis esset laborandum ad thesauros illos recuperandos: atque si nunquam antea laborassent, eosq; promeriti: non fuissent. Quamobrem liberali suâ misericordiã statuit ipse ac decreuit: si vas pœnitentiã repararetur, posse thesauros pristinos hoc ipso recuperari: ne (vt Apostolus ait) *eorum labor inanis esset.*

PRÆTEREA: cum gratia sit pignus hæreditatis, quæ filiis promittitur; & arrhæ, quæ dantur sponsis: si DEVS dignatur eos ad totum præmium admittere, quod antea illi fuerit promeriti: dabit procul dubio feruentibus pœnitentibus statim pignus & arrhæ, quibus hæreditas illa innititur vt incipiant statim his talentis negotiari; donaq; ipsa maiori feruore augere. Denique cum Baptismus & Confirmatio non, nisi semel in vita suscipiatur; conferant verò Christianis specialè gratiã vt sint fideles Christi milites: credendum omninò est si eam culpâ aliquâ suâ amittant, eandem per pœnitentiã totam reparare: vt perseuerare & progredi possint in militia spirituali, & obligationibus satisfacere statûs, quem per Sacramentum acceperunt.

HIS Sacramenti ipsius Pœnitentiæ excellentijs addere possumus heroicis virtutum actus, qui in ea exercentur. quod ita DEVS disposuit, vt, *p ubi abundauit delictum, superabundet gratia.* constituens nos & occasionem offerens præclare exercendi nobilissimas vitæ perfectæ virtutes. Quædã enim præcedunt; tanquam dispositiones ad Confessionis Sacramentum: aliæ eandem comitantur: aliæ deniq; tanquam fructus ab ea proueniunt: ita vt in lege Euangelica, in solo feruore Confessionis locû habeat, quod Ecclesiasticus dixit: *q melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Nam (vt S. Gregor. interpretatur) feruentes tot commoda ex peccatorum suorû confessione acquirunt, vt promereantur, multoq; plus hac ratione lucrentur, quàm repidi bonis suis operibus. In hoc siquidem solo bono opere elucet eorum obedientia, humilitas, fortitudo, patientia, & plures aliæ virtutes: de quibus sensim inferiùs dicetur

m Iere. 3. 15

n2. Cor. 4. 6.

o 1. Cor. 15.

58.

Galat. 3. 4.

p Rom. 5. 40

Confessionis
virtutes

q Eccl. 42.

14.
Lib. 17. Mo
ral. c. 29.

§. 2. *Quaedam Sacramenti Pœnitentię proprietates.*

1.
S. Thom. 3.
p. q. 84. a. 10.

a Matt. 18.
22.
Pœnitentiã
iterari po-
test.

S. Thom. 3. p.
q. 84. a. 6.
Et 10. 1.

2.
Multa &
magna pec-
cata remis-
sit.

b Matt. 1. 16
19. Et c. 18.
18.

c Matt. 12. 31
Lib. de Lap-
sis, & Epist.
52.

S. Chrysof.
homil. 52. in
Matth.

S. Tho. 2. 2.
q. 14. a. 3.

Act. 2. 38.
d Ezech. 37. 4

3.
Trid. Concil.
Sess. 14. c. 5.

IMPONAMVS siam Sacramenti huius excellentijs finem, addita magni Dei nostri immensa liberalitate, qua noluit terminum & numerum prescribere, hoc Sacramentum recipiendi. optime enim sciens mutabilitatem & fragilitatem nostram, quamdiu in hac vita versamur: liberam fecit potestatem omnibus, turbulentum huius mundi mare nauigantibus, vt si a *septies*, imò *septuagies septies*, & millies millies naufragium patiantur, possint semper per pœnitentiam emergere, & salui euadere: quia ex sententiã communi Patrum, pœnitentiã est secunda tabula post Baptismum: ne peccator naufragio pereat. Et quid de nobis fuisset: si, redeunte infirmitate, non potuisset idem antidotum adhiberi! noluit cœlestis Medicus minus esse in sanando liberalis: quàm homo fragilis in morbo contrahendo. Quare si ægrotus curari vult, non deerit cœlesti Medico misericordia, vt sanare illum velit: nec potentia ad id exequendum, per Sanctum hoc Sacramentum.

Cuius præstantia etiam in hoc cernitur, quòd nec grauitatis, nec numeri peccatorum, quæ in eo condonanda sunt, mensura aliqua sit constituta. licet enim peccatorum numerus numerum excedat capillorum capitis, marisque arenarum; illa quæ sint grauiora & horrenda magis, quàm fuerint Sodomorum, & Iudæ, ac reliquorum qui Saluatorem nostrum crucifixerunt: omnia tamen possunt remitti: modò peccatorem eorum pœniteat, & quauis in huius mundi tribunalibus soleant supremi Iudices grauiora quedam crimina sibi reseruare at in hoc Ecclesiæ tribunali nullum est soli Deo reseruatum delictum: siquidem absolutè & absque vlla reseruatioue dixit **CHRISTVS** Dominus noster, Sancto Petro: *b Ego dabo tibi clauis regni caelorum: & quodcunqve solueris super terram, erit solutum & in caelo: & quorum remiseris peccata, remittuntur eis.* Et quando idem dixit Pharisæis: *c blasphemiam in Spiritum Sanctum nõ dimitti, neque in hoc seculo, neque in futuro.* non negauit etiam hoc genus peccatorum per Sacramenta dimitti; sed insinuauit (vt ait Cyprianus) maximam difficultatem in huiusmodi peccatoribus, ad se disponendum ad pœnitentiã. Quæ tamen difficultas ab eiusdem Spiritus Sancti inspiratione superatur: qui re ipsa per Sancti Petri prædicationem multos tales blasphemos; & qui Christum crucifixerant, conuertit. Nam quamuis peccatores instar, *d ossium*, quæ vidit Ezechiel, aridi sint: resuscitari tamen poterunt, quemadmodum in primo Tractatu est dictum.

SED vltius progressa est Christi D. N. liberalitas in hoc Sacramento: cum voluit etiam peccata venialia ac leuia materiam esse sufficientem ab-

solutio-

olutionis: vt iusti feruētes, qui ex Dei gratia per multos annos viuunt abl- que mortali peccato, sed leuiter septies in die cadunt, frui possent fructi- bus huius Sacramenti; & maiorem puritatem, gratiæque augmentum; & heroicorum actuum, qui in eo exercentur, meritum obtinere: sicut dictum est. Et quamuis alia quoque sint media, ad leuia hæc peccata purganda: nul- lum tamen magis aptū & accommodatum est, quàm hæc sit ablutio à Chri- sto D. instituta, etiam ad leues culpas applicato sui sanguinis pretio, quem- admodum ipse Christus S. Petro dixit: *equi lotus est non indiget, nisi vi pedes lauet*, culpas scilicet leues, quibus etiam, alioqui valde mundi, sæpius obfu- scatur. Ideoq; dixit S. Augustinus: semper confitere, qui semper quod con- fitearis habes: vt Confessionis remedio in puritate crescas.

*Etiam ve-
nialia re-
mittit.*

*e Ioan. 13.
10.
In Psal. 99.*

INTENDIT autem magnus DEVS noster omnes vires suas, vt osten- deret, quanto affectu ac desiderio teneatur, vt copiosos huius Sacramenti fructus iusti percipiant. quamuis enim statuere potuisset, ne ab eisdem pec- catis absolutio Sacramentalis repeteretur: (sicut in exteriori foro, cum defi- nitua sententia de aliquo delicto profertur; non amplius idem delictū re- dit ad iudicem) noluit tamen hæc rationem in huius Sacramenti tribunali seruari, sed permisit absolutionem toties repeti, quoties eorundem pecca- torum confessio repeteretur. vt iustus magis magisq; ab eis purificaretur nouis gratiæ incrementis, quæ animæ puritatem semper promouent

4.

CAPVT II.

*QVOS ACTVS SACRAMENTVM POENITEN-
tiæ complectatur: ac diuinam Vocationem ad
eos exhortari.*

PŒNITENTIÆ Sacramentum, cuius excellentias hæcte- nus retulimus, multos actus complectitur, ad suam integri- tatem & perfectionem necessarios. quosdam ad ipsum Pœni- tentem, alios ad Confessarium spectantes. Qui ad pœniten- tem, tres sunt præcipuè: CONTRITIO: CONFESSIO, & SA- TISFACTIO, qui plures alios in se continent. Nam CONTRITIO supponit aliquas considerationes, quibus peccatorum dolor excitetur; & aliqua pro- polita, vt peccatorum detestatio sit perfecta. CONFESSIO supponit exa- ctum Conscientiæ examen, quo admissæ culpæ inueniantur, & cognoscantur: quam Confessionem, dum fit, excellentissimi alij actus comitantur. SA- TISFACTIO fit varijs pœnalibus operibus, quibus pœnas ob culpas nostras debitas exoluimus. Hos omnes actus Confessarius suis actibus adiuuat,

*Actus pœni-
tentis.*